eius in conspectu domini et peccatum [matris] eius non deleatur. Fiant contra dominum semper et dispereat de terra memoria eorum pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem et mendicum et compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem et veniet ei et noluit benedictionem et elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum et intravit sicut aqua in interiora eius et sicut oleum in ossibus eius. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur et sicut zona qua semper praecingitur. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum et qui loquuntur mala adversus animam meam. Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum quia suavis est misericordia tua. Libera me quia egenus et pauper ego sum et cor meum conturbatum est intra me. Sicut umbra cum declinat ablatus sum et excussus sum sicut locustae. Genua mea infirmata sunt a ieiunio et caro mea immutata est propter oleum. Et ego factus sum opprobrium illis viderunt me et moverunt capita sua. Adiuva me domine deus meus salvum me fac secundum misericordiam tuam. Et sciant quia manus tua haec et tu domine fecisti eam. Maledicent illi et tu benedices

qui insurgunt in me confundantur servus autem tuus laetabitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore et operiantur sicut diploide confusione sua. Confitebor domino nimis in ore meo et in medio multorum laudabo eum. Qui astitit a dextris pauperis ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Confitebor domino nimis in ore meo. ps Domine

Eungu· fac in bona voluntate. Exaudi o· tua domine miserere. Bonum est

Bonum est confiteri domino et psallere nomini tuo altissime. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam et veritatem tuam per noctem. In decachordo psalterio cum cantico et cythara. Quia delectasti me domine in factura tua et in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua domine nimis profundae factae sunt cogitationes tuae. Vir insipiens non cognoscet et stultus non intelliget haec. Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem. Ut intereant in saeculum saeculi tu autem altissimus in aeternum domine. Quoniam ecce inimici tui domine quoniam ecce inimici tui peribunt et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum et senectus mea in misericordia uberi. Et despexit oculus meus